Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2833
Quelle:
Copyright:

XIX. *fol.* 164. *Esopus.* Hoc titulo gaudent LX. illae *Fabulae* Distichis inclusae, quas post complures Sec. XV. Editiones, quarum *Brixiana* per *Bonin. de Boninis* 1489. 4. mihi objacet, repraesentavit in *Mythologia Aesopica Isaac. Nic. Neveletus Francof.* 1610. p. 486. 8. inscriptas *Anonymi Fabulæ Aesopeae*, et in quarum Autorem, aevumque erudite non minus, quam acute, ut solebat, inquisivit *Gottbold. Ephr. Lessingius* in *Symbolis liter.* vernac. e *Bibliotheca Guelpherbyt.* I. p. 45. et continuante *J. Joach. Eschenburgio* V. p. 45. quin tamen certi quidquam doctis Virorum curis responderet. Prooemium incipit:

Vt juuet et prosit conatur pagina presens
Dulcius arrident seria picta iocis &c.

Et Fabula I. *De Gallo et Jaspide.*

Dum rigido fodit ore fimum dum queritat escam
Dum stupet inventa iaspide gallus ait &c.

Exemplum nostrum multis locis retractatum est; saepe tamen infelicius, quam prima manus scripserat, nec Fabularum ordo semper cum *Neveletiano* conspirat. Fabulas *binas*, quae in *Cod.* quodam *Guelpherb.* LX. nostras excipiunt, quasque, quod ἀνεκδοτοις crederet, *Eschenburgius Symbolis suprac.* p. 66. inseruit, habes in Edit. *Brixiana* memorata, quin *Tertia* ibi adjecta est *De pueris Ludentibus*, versu hexametro hiulco, quam huc adscribere operae pretium non est. Ad calcem Exempli nostri legas:

Explicit Ezopus qui scripsit sit benedictus.
Finito libro sit laus et gloria christo.
Anno Domini M° CCCC° XXXIII.

XX. *fol.* 194. Epitome *Decreti Gratiani* hoc initio: *Ad tocius libri decretorum pleniorem intelligentiam nota valde vtilem doctrinam infra scriptam. Liber decretorum distinctus est inter tres partes* &c.

XXI. *fol.* 206. Epitome Ejusdem alia metrica.

Sex iuris species monstrat distinctio prima
Atque quid humanum quid diuinumque vocetur &c.

Diversa a Carminibus illis memorialibus, quae in multis Editionibus *Decreto* praefixa sunt.